



Andreas à pueris operam literis dedit, & prima rudimenta in patria feliciter iecit. Postea sese Vuitebergam contulit, & magna diligentia Theologiæ incubuit, in ea quoque adeò profecit, ut doctissimi Theologi nomen sibi compararit. Inerat quoque uite grauitas, & rara dicendi facundia. id cum Norinbergensis respub. intellexisset, eum ad se uocauit, atque suæ urbis Ecclesiæ præfecit. In eo loco Andreas per multos annos magna laude suam functionem peregit, atque magistratus sui nomine omnibus ferè Imperij comitijs, quæ religionis causa celebrata erant, cum reliquis Theologiæ Coriphæis interfuit, atque aduersarijs egregie restitit.

quod quidem potissimum Augustæ & Ratisbonæ 1541 comparuit. Cum autem postea 1549 noua religionis forma (quam Interim dixere) à Cæsare uictore Imperij statibus offerretur, atque Norinbergenses consentirent, Andreas cū quibusdā alijs Symmists Norinberga discessit, atque in Prussiam Regiomontem contendit. In eo loco Albertus princeps eum humaniter suscepit, ueteris urbis Parochum constituit, atque etiam Vniuersali scholæ, quam magnis sumptibus instituerat, præfecit. Itaque Andreas in ea regione prædicando & publice profitendo primas tenuit, & principii gratissimus fuit. In eo autem loco de uera Iustificacione nouam quæstionem mouit, atque iustitiam non modò imputatiuam, uerùm etiam essentialem, & in nobis inhærentem necessariam statuit. Itaque Vuitenbergicos Theologos contra se excitauit, & cum ijs uarias contentiones habuit. Verùm prudentum hominum consilio tandem illa contentio sepulta fuit.